UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici Doctiss. Sacrae || Theologiæ & Iuris Canonici Doctoris || celeberrimi, ac Ecclesiæ Ham-||burgensis quondàm Decani

Krantz, Albert

Coloniae, 1574

Capvt XVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11453

Visual Library

cuiquam deuinctam, suo toro esse asseruatã. Ibi, volentem nolentẽ, incertum, puellam dominabus de suo regno permittit, vt inclinẽt ad regis assensum, & mox toro suo impositã habuit pro coniuge, omnibus de more impletis. Tum remittendam Romanorum regi filiam, sæpè & multùm repetitam, decernitur. In vno facto geminum committitur piaculum: propriam sponsam tam diù in primis affectibus habitam, ità etiam, vt in nonnullis literis nomen puellæ suo coniunxerit, contemnens ac reiiciens, & quam non debuit, inuadens, iniurius fuit in socerum, cui & sponsam ademerat, & in eiusdem filiam cui torum diù promissum abstraxerit.

CAPVT XVI.

VNum, & idipsum tenue, ex iuris superficie quæsière adminiculum, qui regis Franciæ factum tuentur: Scripturas scrutantur, quòd procuratores ad contrahendum matrimonium missi, mandatum habuerint, non pro se quisq; insolidum, sed omnes coniunctim, cùm sit matrimonium opus personale, nec cadat vnum in plures. Magnis regibus non in scelus deputatur, quod minoribus in piaculum: Verumq; inuenitur, quod Græcus Anaxerses fertur dixisse: Leges humanas telis aranearum esse persimiles, in quibus hærent muscæ, ac culices, crabrones impunè rumpũt peruolantes. Abière tristes Romanorum regis oratores, quæ acciderãt, regi suo relaturi. Puella interìm regina Franciæ ab omnibus habetur: Margareta fratri redditur in Flandriam. Nõ magnoperè fuisse cordi Romanorum regi has nuptias, vel indè perpenditur, quòd nunquàm visus sit tantam iniuriam vel minimo vindicâsse: Deindè alijs etiam colligitur cõiecturis: Nam cùm ad regẽ sui redîssent oratores, relationem facientes de his quæ acciderant, eo die quo rela-

relata suscepit, equū conscendēs in foro oppidi Insprug, Dominica Esto mihi, cōcurrit obuio hasta infesta. Cùm interìm Sigismundus dux patruelis, allatus gestatoriæ sella, vt erat pedibus æger, in medios equites, regē adesse innuit: Ille armatus obuiàm proficiscitur amātissimo suî propinquo: Et prior: Quid est, inquiēs, pater? quid agitur, vt hoc tēpore in publicū prodeat vestra synceritas? Tum ille: Non sustineo, inquit, cernere perniciem capitis vestri, quòd hodiè tribus incurrere, vt ferunt, decreuistis: En proficiscor in vicinum Hallis oppidū. Ad quem rex: Non rectè, inquit, pater de me prædicârunt: Semèl liceat incurrisse, & satìs sit. Sino, inquit, semèl: sed tum nè iteretur: Non prorsùs amplius, quàm semèl, refert rex. Quo dicto, ille in palatium redijt. Quæ res indicio est, extremis & summis sensibus vix hæsisse cordi has nuptias, nec admissas in profunda præcordiorum, quibus solent, quæ ardenter cupimus, penitùs inhærere.

CAPVT XVII.

VNgariæ rex Matthias longo & difficili bello congressus Imperatori, quòd quidam regni archiepiscopus coronam regni ad Imperatorem Fridericum cum thesauro non contemnendo pertulisset, totam penè Austriam occupauit, ademitque Imperatori, illo ad omnia desidente, & nihil agente, quòd benè sperare et per Matthiæ mortem, prout euenerat, omnia in iustam successionem peruentura. Sunt qui arbitrantur, omnia Fridericum dissimulanter pertulisse, quo subiectos, sibi minùs audientes, alieno gladio perdomaret: Sed perniciosa nimìs dissimulatio. Sunt qui ab Imperatore mundi domino ignauiam abigūt, quod omnes debemus, eius facta semper honesta ratione in melius detorquētes.

Sed